



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

Imprimatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

schismaticos expugnas, five abdita mysteria pandis, five gratiam Dei extollis, five Pontifices instruis, five Dei dilectionem doces, five Sanctorum merita celebras, five negotia pertractas; nihil certè legi potest aut disertius, aut excellentius, aut efficacius ad persuadendum. Urit, afficit, penetrat mellifluus sermo tuus: & nardus tua dedit odorem suavitatis, odorem vitæ in vitam, ab illis dumtaxat percipiendum, quibus datum est à Patre, testante Filio & dicente; *Confiteor tibi Pater, Domine cali & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Hæc sunt nimirum incerta & occulta increata Sapientiæ, quæ non nisi ab illis cognosci possunt, qui spiritum ipsius habent; de quo scriptum est; *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Atque utinam hunc ipse spiritum habuissem, cum animum appuli ad hæc scribenda; certas etenim & infallibiles regulas tradidissem, quibus boni instinctus à malis, verum lumen à falso, & sibilus serpentis à voce sponsi loquentis in silentio ad cor Hierusalem dignoscerentur. Et quidem si Tu hîc esses, tenerem Te & rogarem, ut panderes mihi secretum tuum, & penderem ex ore tuo, sicut olim discipuli tui: nec dubitarem Te verum dicere, quia summa Veritas mihi intus diceret te verum dicere. Nunc verò etsi audio te mutis vocibus loquentem & docentem, vereor ne peccatis meis exigentibus eloquia oris tui non percipiam; nec doceas me, etiam si loquaris; neque enim doces non intelligentem. Et si quid intelligo, vix me idoneum existimo ad hoc ipsum rudi meo sermone explicandum. Quæ est igitur scientia mea, si nescio utrum aliquid sciam? Idcirco verbis tuis in hoc Tractatu usus sum, aliorumque Patrum qui Te præcesserunt, nihil ausus asserere, quod firmissimâ eorum auctoritate, sacrarumque Literarum irrefragabili testimonio, aut certâ experientiâ non roboretur. Sed Te præ cæteris magistrum, Te doctorem sequutus sum, cui sublimioris hujus Theologiæ magisterium divinitus traditum est; adeò ut Tibi displicere non possit hoc qualecunque munusculum, quod in perenne humillimi mei obsequii & grati erga Te animi monumentum offero, quia Tuum est, ex tuæ videlicet sapientiæ ditissimis thesauris depromptum. Illud igitur excipe & protege paternâ benignitate, illorumque mentibus, qui in hunc librum inciderint, divini luminis obtine claritatem, quâ desuper imbuti æternis rationibus inhæreant, & mundi ac dæmonis insidiosis susurrationibus despectis in sempiternæ Veritatis amore, ejusque beata possessione conquiescant. Hoc votum meum est, hæc merces operi meo. Romæ, die festo Natalis Tui. M. DC. LXXII.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici

I. de Angelis Archiep. Urbinaten. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Palatii Apost. Mag.

D E